



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1000. Usque Ad Annum 1063

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1761**

**VD18 90117956**

§. 19. Leutardus Fanaticus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66323](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66323)

Sæculum XI.  
A. C. 1004.

§. XIX.

*Leutardus Fanaticus.*

*Glaber. l. II. c. II.* Circa finem anni millesimi homo plebejus, nomine Leutardus, apud pagum, a virtute dictum, in Diœcesi Catalaunensi, Prophetam se fecit, & multos decepit. Ei aliquando ruri existenti, & post gravem laborem in somnum lapsus, videbatur grande examen apum per posteriorem partem corporis sui ingredi, iterumque per os magno strepitu erumpere. Tum eadem apes aculeos figendo Prophetam torquebant, agitabantque, & demum loquentes etiam præcipiebant, ut quædam, homini impossibilia, faceret. Ipse fatigatus domum rediit, & quasi præcepto Evangelico satisfactorius uxorem dimisit. Domo sua deinde egressus, quasi orandi gratia, Ecclesiam intrat & arreptam Crucifixi Imaginem conterit. Qui factum conspexerunt perterriti hominem a sana mente dimotum crediderunt, quibus ille, nam simpliculi rustici erant, facile persuasit, se mirabili & cœlesti revelatione monitum id egisse.

Leutardus multa loquebatur, cupiens ab hominibus magnus Doctor haberi. Sed in ejus sermonibus nihil solidi, nihil veri. Dicebat, ea, quæ Prophetæ protulissent, tantum ex parte esse credenda, cetera esse inutilia. Dicebat, nihil prod-  
esse



esse homini, decimas dare. Interim fa- Sæculum XI.  
 ma eum tanquam Virum Sanctum de- A.C. 1004.  
 prædicante, brevi ad se non modicam  
 vulgi partem traxit. At Geboinus, sa-  
 pientissimus senex, qui tunc Ecclesiam  
 Catalaunensem regebat, ad se accersi-  
 tum de omnibus interrogat, quæ ipsum  
 dixisse & fecisse compererat. Ille cœ-  
 pit venenum suæ nequitiae occultare, &  
 testimonia Sacræ Scripturæ afferre, quam  
 non didicerat. Tunc vero sagacissimus  
 Episcopus nebulonem mendacii & insa-  
 niæ convicit, populumque ex parte sedu-  
 ctum ab errore revocavit. Infelix Leu-  
 tardus intelligens, se in vulgi existima-  
 tione perditum, se ipsum puteo periturus  
 immerfit.

## §. XX.

*Alii Fanatici.*

Sub idem tempus quo Leutardus insa- Glab. l. II.  
 niebat, alius quoque Fanaticus Ra- c. 18.  
 vennæ extitit, nomine Vilgardus, profes-  
 sione Grammaticus, more Italorum, qui  
 illa tempestate hoc studii genus omni-  
 bus ceteris præferebant. Is ergo quadam  
 nocte tres Poetas Virgilium, Horatium,  
 & Juvenalem ad se invisentes conspiceret  
 sibi videbatur, gratias agentes, quod Scri-  
 pta eorum magni faceret, eorumque fa-  
 mam apud posteros conservaret, polli-  
 citi, ipsum maximæ post fata gloriæ fore